

comparabilis ille Belga, in Malacia hæret: sic ingenium
in hoc languore, cui melior aura non adspirat

— — *quis virtutem amplectitur ipsam*
præmia si tollas — — —

arg. l. 4. C. Stat. & Imag. l. eleg. v. §. 1. ff. de 7. & 7. profectò

Non mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes
& superet Pimplea sitim --- ---

guttulam unam in hoc ferreum ævum, & quod mitius
metallum non spondet, effundam. Nihilominus ta-
men, cùm hisce diebus supellectilem meam librariam è
Muséo in Muséum transtuli, incidi ex inopinato libros
disponendo, chartas secernendo, & purgando in hoc
olim à me concinnatum, & pro *derelictio* jam planè habi-
tum Tractatum, sed majori ex parte temporum iniuria,
& hominum incuria mutilatum, atq; in omnibus eius
partibus, præprimis autem in nono, decimo, decimo-
quarto, & decimo-quinto, in quo subsistere coactus sum,
uti supr. dictum capite, in quibus omnibus benè multa
desiderantur, immanè quantum distractum, adeò certè
ut quas huic fœtui olim impendi lucubrationes me ferio
pœnituerit.

Ne itaq; quale, quale h. diligentia quondam meæ Aca-
demicae specimen penitus periret, sed exiguum quod-
dam ejus monumentum extaret, quæ adhuc supersunt
capita hujus Tractatus *postliminiò* quasi iterum collegi, &
perlegi, & inter perlegendum ex singulis capitibus Con-
tenta, seu ut barbarè vulgò loquuntur, Summaria, quod
idem est ac Argumenta, succinctè excerpfi, quæ Prodro-
mi loco in ipsius Operis (quod ipsum aliquando, si tanti
est, bonis avibus prælo commissurus sum) prægustum
ad exploranda Lectorum, cùm æquorum, tum iniquo-
rum judicia heic exhibere volui, ut ita legi possit liber,
priusquam legatur i. e. paucis hisce foliis videri, quicquid
benè